



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

Irregularitas VIII. ex delicto violandi censuras celebrando.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

IRREGVLARITAS VIII.

*Ex delicto violandi censuras
celebrando.*

A **Q**VI post missam inceptam meminit se suspensum, excommunicatum, vel interdictum, & non potest sine scádalo omittere illam, non incurrit nouam irregularitatem celebrando. c. 25. n. 75.

Qui celebrat post completam ab una parte simoniam, & ante completam ab altera, non fit irregularis, saltem in foro interiori. cap. 23. num. 104.

B Neque qui celebrat post appellationem à declaratione excommunicationis, de cuius valore dubitat. Ibidem.

Non incurrit, qui appellans ante excommunicationem, & confidens appellationi, celebrat: neque qui celebrat post intimacionem exequutorialium, antequam declaratur. num. 104.

Non incurrit, qui celebrat prohibitus à confessario ne celebret. cap. 27. num. 152. Nec qui celebrat infectus crimine depositione digno, & notorio. num. 154. Neque suspensus suspensione Pij I I. celebrans bona fide, & purgato peccato, per pœnitentiam. num. 156. c. 27.

Nec

Nec excommunicatus ob delictum occultissimum, qui post penitentiam, & ante moram petendi absolutionem celebrat, ne fama eius periclitetur. cap. 17. num. 236.

Nec qui violat cessationem à diuinis etiã particularem. secus de violante interdictum etiam generale. num. 243.

Non incurrit, nec peccat qui suspensus ab officio Sacerdotali, exercet alios ordines inferiores. num. 163. dict. 5.

Irregularis celebrans non incurrit nouam irregularitatem, peccat tamen m. nu. 194.

De celebrante in loco non interdicto sed corã interdictis. vide tit. Interdictũ. V. lit. A.

Qui verò celebrat in loco interdicto, peccat m. & est irregularis. Item qui violat interdictum, sepeliendo, celebrando Missam, & alia officia diuina, & Sacramenta ministrando. cap. 27. 222. 244.

De laico violante interdictum, vide, Interdictum II. In hac irregularitate solus Papa dispensat ad ascendendum ad maiore: & Episcopus ad vtendum accepto. 244.

Qui sciens se esse aliqua censura irretitum, vel id scire debens, celebrat Missam aut officia diuina, vel exercet aliquid suo ordini proprium, est irregularis: secus si excommunicatio est minor. num. 244.

Imò nec incurrit, si cantat Psalmos in

FF choro,

choro, responforia, litanias, vel baptizat sine
folennitate, vel facit aliquid minoribus an-
nexum, quæ omnia etiam laici exercere so-
lent. num. 163.242.244.

Ignorantia crassa non excusat ab hac ir-
regularitate. num. 244.

Non incurrit suspensus à susceprione Sa-
cramentorum, si fulcipiat ea. Sed sic, si sus-
pensus à collatione eorum administrat ea.
num. 163. dict. 3. & 4. Incurrit si suspensus ab
officio prædicandi concionetur. ibid. dict. 8.

Incurrit prælatus, vel dominus, qui cen-
sura ligatus facit vt Sacerdos ligatus, vel
non ligatus celebret coram se: & quamuis
ipse non sit ligatus, tamen Sacerdos quem
facit celebrare est talis. Et in hac irregula-
ritate solus Papa dispensat, si excommuni-
catio alterutrius fuit denunciata vel mani-
festa. Alioqui Episcopus poterit, si fuit oc-
cultum. num. 250. dict. 10.

Delictum occultum dicitur id, quod non
est manifestum publicum, aut notorium, aut
famosum. ibidem.

Neque sufficit, quod iussio illa, vel cele-
bratio sit publica, vt talis non possit dispen-
sari ab Episcopo, si tamen censura est oc-
cultum. num. 250. dict. 10.